

Dices: Qui non paratus est Deum omnibus anteferre, indignus est absolutione: at ille quem confessarius prævidet monitioni non cessurum, non paratus est Deum omnibus anteferre: ergo indignus est absolutione. Ita auctor operis aliunde commendandi, cui titulus: *La Conduite des Confesseurs.*

R. Nego min. Qui enim paratus est omnia generatim sufferre potius quam Deo displicere, Deum omnibus anteponeit: atqui prævisio confessarii non impedit quin pœnitens hic et nunc paratus sit omnia generatim sufferre potius quam Deo displicere: non enim judicandus est ex possibilibus, nec ex probabilibus, habita ratione circumstantiarum in quibus supponeretur constitutus, sed ex dispositionibus ejus realiter existentibus: et confessarius qui fingeret hypotheses difficiles easque pœnitenti proponeret, stulte ageret atque imprudenter eum tentaret, ait *S. Thomas*, Quodlib. 1, art. 9. Quot enim homines qui leviter tentati facile vincunt et in gravioribus periculis miserabiliter ruerent! Numquid hæc prævisio eos reddit absolutione indignos? Certe hoc admitti non potest, alioquin dicendum foret hominem puniendum esse pro peccatis possibilibus quæ nunquam admittet: porro hæc sequela ab omnibus rejicitur. Ergo. In dubio autem an monitio profutura vel obsutura sit, omnia sedulo perpendi debent, et quod videtur minus malum est eligendum: si vero, omnibus perpensis, dubium perseveret, omittenda est monitio. Sic cum aliis *S. Ligorius*, l. 6, n. 616, in fine.

Cæterum, animadvertite confessarium teneri pœnitentem ignarum pro viribus iastruere, mysteria fidei lucide exponendo, motiva credibilitatis explanando, regulas morum nitide pieque proponendo, etc.

Quæritur 1° an confessarius absolvere possit pœnitentem quem videt sequi opinionem minus tutam et minus probabilem.

R. Si pœnitens ipse judicet opinionem quam sequitur esse minus probabilem vel tantum æque probabilem, conscientiam non habet actionem suam esse bonam, sed in

dubio constituitur: ergo absolvi non potest, nisi, juxta non paucos, conscientiam per principia reflexa sibi efformet, et credat talem agendi rationem sibi esse licitam; de hoc alibi. Si vero opinio sit in materia controversa, et uni probabilior, alteri minus probabilis videatur, confessarius exigere non potest ut pœnitens, præsertim doctus, sententiam mutet; non enim opinionum est judex, nec ipsius est officium cunctas controversias autoritate sua dirimere. Ita, contra *Concina*, P. *Antoine* aliosque paucos, communiter theologi, ut videre est apud *S. Ligorium*, lib. 6, n. 604.

Quæritur 2° quid agendum sit erga senes, hebetes et rudes, qui mysteria necessitate medii necessaria discere aut retinere non possunt.

R. Si ex negligentia eorum id accidere videatur, instruendi sunt et remittendi donec didicerint quæ creditu sunt necessaria, juxta capacitatem suam. Si vero ex memoriæ imbecillitate id proveniat, et assiduū conatus frustra adhibiti fuerint ad illos edocendos, tunc confessarius mysteria ipsis proponat, actum fidei actualis præformet et eis suggerat, sicque efficiet ut ipsi hujusmodi actum eliciant, et absolutionem impertiet. Simili methodo actus spei, charitatis et contritionis ab eis obtinebit, et curare debet ut ad se vel ad aliquem familiarem frequenter accedant, atque eadem via prædictos actus formaliter renovent; *Dens*, t. 6; *La Conduite des âmes*.

Solliciti esse debent pastores erga infelices hujusmodi homines, ne sacramentis Ecclesiæ maneant privati, et nihil non moliri ut eos per se vel per alios erudiant. Eandem habere debent sollicitudinem erga surdos-mutos, quos tenentur edocere, atque peccata eorum summatim intelligere, ut eos absolvere et ad Eucharistiam saltem in Paschate admittere possint.

SECTIO SEPTIMA. — De obligatione quam habet confessarius dignoscendi et procurandi contritionem in pœnitente.

Contritio est pars essentialis sacramenti Pœnitentiæ: confessarius ergo absolutionem, extra casum necessitatis, dare non potest, nisi prudenter judicet adesse in pœnitente

contritionem sufficientem. Præcipua autem signa quibus eam dignoscet, sunt: 1° si pœnitens satis instructus, cordate asseveret se de peccatis sinceriter dolere, et firmum habere propositum non peccandi de cætero; 2° si ante confessionem maturum examen adhibuerit, oraverit, desiderium veræ contritionis habuerit, eamque pia consideratione excitare tentaverit; 3° si omnia peccata sua, etiam majora et turpia, candide et humiliter declaret, sine ulla tergiversatione aut vana excusatione; 4° si ex pio aliquo motivo ad confessionem libere accesserit, non vero ex aliquo respectu humano; 5° si ex desiderio conversionis a peccato jam cessaverit, occasiones, v. g., tabernas, talem aut talem personam, deseruerit; 6° si pœnitentiam sibi injunctam et peccatis proportionatam libenter acceptet aut majorem postulet.

Hæc contritionis signa aliaque similia ordinarie sufficiunt. Dicimus *ordinarie*, quia fieri potest ut specialis aliqua circumstantia suadeat majora requirenda esse conversionis indicia.

Dubitari autem non potest quin confessarius teneatur, ratione officii sui, contritionem excitare in pœnitente, quem prudenter judicare non potest sufficienter contritum: alioquin periculo absolvendi indignum se exponeret, et animam sibi commissam in discrimen salutis conjiceret. Paratas igitur habeat rationes urgentes e libris spiritualibus, et præsertim ex meditationibus sanctis haustas, quas pro diversa pœnitentis qualitate breviter, clare et pie studebit proponere, ut eum ad detestationem vitæ præteritæ et emendationem futuræ excitet. Interdum quæret ab eo an pœniteat, an firmum habeat propositum peccandi; et quandoque juvabit eum differre, vel aliquam moram ei concedere, ut gratiam veræ contritionis a Deo postulet, motiva proposita perpendat, peccata detestetur atque ea deinceps vitare firmiter sibi proponat, et postea ad suscipiendam absolutionem redeat.

Motiva quæ metum incutiunt, aptiora sunt rudibus peccato assuetis: proponenda sunt ipsis æterna damnatorum supplicia, dæmonum cruciatus, ira Dei omnipotentis in

cujus manus horrendum est incidere: enumerari possunt bona peccato amissa, ut gratia Dei, filiatio, hæreditas ejus, dona supernaturalia, immensæ divitiæ quibus nudata est eorum anima, cum, peccato mortua, facta est dæmonum hospitium. Narrabit etiam confessarius punitionem Angelorum, vel Core et ejus asseclarum, qui, terra dehiscente, sepulti sunt viventes in inferno. Addere poterit: Vos eodem supplicio jam torqueremini, nisi benignitas Dei, qui non irridetur, pœnitentiam vestram expectasset.

Motiva amoris proponi debent iis qui facilius emolliiri possunt, v. g., summa Dei bonitas, suprema ipsius majestas, immensa Christi charitas, passionis ejus tormenta, sputa, opprobria, mors ignominiosa et simul dolorosa; ingratitude peccatorum qui reddunt Deo odium pro dilectione, injurias pro beneficiis; insania peccatorum qui totum vitæ tempus in obsequium diaboli, mundi et carnis impendunt, etc.

Si quis in malo obduratus, his aliisve similibus motivis non emolliatur, nec contritus appareat, dimittendus est non absolutus, ne pœnitentia quidem illi injuncta, si nihil promittere velit: si vero conversionem suam desiderare judicetur, bonum erit ipsi injungere ut singulis diebus multoties contritionem petat, fidem in se excitet, novissima hominis magis ac magis consideret, et, post aliquot dies, ad confessarium redeat.

§ II.—De obligationibus confessarii quæ spectant ad absolutionem.

Nobis dicendum est 1° de ipsius obligatione generali dandi aut differendi absolutionem; 2° de ejusdem agendi ratione erga eos qui tenentur ad restitutionem, reparationem injuriæ, aut ad reconciliationem; 3° erga eos qui in proxima occasione peccati versantur; 4° erga consuetudinarios et recidivos; 5° erga eos qui peccata sua negant; 6° erga moribundos sensibus destitutos; 7° erga scrupulosos; 8° erga personas devotas; 9° erga eos quos male absolvit.

SECTIO PRIMA. — De generali obligatione confessarii in danda aut differenda absolutione.

Præter dilationem absolutionis, fere omnes theologi dicunt illam quandoque negandam esse : potest equidem aliquod discrimen inter dilationem et negationem assignari, quasi absolutio differatur indispositis, donec melius disponantur, et absolute negetur indignis. Attamen, cum omnes se disponere possint, et nullus rejiciendus sit ut desperandus, rectius est dicere absolutionem strictè non negandam, sed, extra casum necessitatis, differendam esse donec requisitæ dispositiones existant.

Certum est 1º confessarium teneri ex justitia regulariter absolvere pœnitentem rite confessum et legitime dispositum : nam ipso confessionis facto quidam initus est contractus sacer, vi cujus pœnitens, rite confessus et legitime dispositus, habet jus ad sacramentum. Ergo.

Diximus *regulariter* ; quia si confessarius aliquo indigeat tempore ad consulendos libros aut viros doctos super peccata sibi declarata, absolutionem differre potest ; item si prudenter judicet dilationem pœnitenti fore utilem ad præcavendos relapsus, quia non tantum est judex, sed et medicus.

Certum est 2º indispositum non absolvendum esse, et confessarium in eo casu, nisi errore inculpabili aut venialiter tantum culpabili excusaretur, mortaliter peccare, licet sacramentum sit nullum ; nam profanatio ritus sacramentalis, ex omnium confesso, sufficit ad constituendum peccatum mortale.

Obligatio autem dandi aut differendi absolutionem, juxta dispositiones pœnitentis, verbis institutionis sacramenti, *Quorum remisistis... quorum retinueritis*, etc., fundatur : confessarius igitur sedula investigatione dignos ab indignis secernere debet, quia non minus ipsi periculum est in injusta denegatione quam in indigna absolutione ; imo, ut sapienter observat *Dens*, post *Steyaert*, regula est absolvere, cum sacramentum ad reconciliationem institutum fuerit, et exceptio absolutionem differre, nempe eis qui

nondum parati sunt. Cautè igitur gradiatur confessarius inter duo extrema, pari sollicitudine devitans et laxitatem quæ peccatores in vitiis sopitos ad inferos deducit, et rigiditatem quæ eos desperans, a sacramento proindeque a via salutis retrahit. Omnes affectu paterno suscipiat et præsertim quos remittere cogitur, ut dilatio ipsis tolerabilior fiat.

Quidam theologi dicunt pœnitentem absolvendum non esse, nisi confessarius moraliter certus sit de præsentia legitimarum ipsius dispositionum.

Alii vero multo rectius dicunt sufficere ut prudenter judicet pœnitentem esse dispositum, id est, innitatur motivo non certo et infallibili, sed gravi et comparative probabiliori quo vir prudens in assensum determinetur. Quando materia sacramentorum est physica, ut in Baptismo et Eucharistia, requiritur certitudo physica ad licitam eorum administrationem ; sed ubi materia est moralis, ut in Pœnitentia, sufficit confessarium habere prudentem probabilitatem de dispositione pœnitentis, licet aliqua suspicio indispositionis subsistat ; alias vix ullus absolvi posset, cum quælibet signa pœnitentium probabilitatem tantum subministrat.

Confessarii igitur qui peccatorem absolvere nolunt, nisi evidenter judicent illum esse rectè dispositum, graviter errant, et clavibus Ecclesiæ sibi commissis, non ad aperiendum, sed ad claudendum regnum cœlorum utuntur : dum alii, omnes indiscriminatim absolventes, æternaliter cum eis pereunt.

Sequitur ex dictis pœnitentem, cujus dispositiones sunt tantum dubiæ, extra necessitatem absolvi non posse, quia tunc non adest judicium prudens illum esse rectè dispositum.

Dicimus *extra necessitatem* ; omnes enim fatentur sacramenta in necessitate potius exponenda esse quam hominis salutem, quia propter homines fuerunt instituta. Tunc confessarius prudenter judicat, non quidem de dispositionibus pœnitentis, sed de bonitate suæ actionis ; sic absolvit moribundos, ut infra dicemus, et absolvere deberet secundum multos, in probabili mortis periculo cum dubiis dispositionibus.

Alius est casus cujusdam necessitatis *moralis*, juxta multos; nempe, si, ex denegatione absolutionis, pœnitens in desperationem sit conjiciendus, a confessione amovendus in posterum, etc.; tunc non pauci aiunt sacramentum nullitati exponendum esse, innixi hoc principio: Sacramenta sunt propter homines. Ita *S. Ligorius*, l. 6, n. 432.

Verum hæc sententia non nisi cum maxima cautione admittenda est in praxi, alioquin tota confessionis disciplina evanesceret. Aliunde non facile concipitur quomodo liceat sacramentum pœnitentiæ probabili periculo exponere ob necessitatem quæ a sola pœnitentis malitia pendet.

Hæc igitur necessitas *moralis* orta metu ne pœnitens desperetur, confessionem deserat, in sectam schismaticam aut hæreticam transeat, confessarium et veritatem detestetur, confessarium laxum adeat, scandalum faciat, infamiam vel damnum quoddam incurrat, etc.; nobis quidem videtur rationabile motivum ut facilius aut promptius absolutio concedatur, habita ratione circumstantiarum, non autem ut generaliter detur absque prudenti judicio de dispositionibus pœnitentis.

Confessarius de dispositionibus sui pœnitentis, omnibus perpensis, adhuc dubitans, eum interrogare potest, v. g., an vere doleat, an firmum habeat propositum non peccandi, etc.; et tunc ei non semper credet, ut quidam volunt, sed ex responsionibus ejus quandoque prudens efformare poterit judicium.

SECTIO SECUNDA.— De agendi ratione confessarii erga eos qui ad restitutionem, reparationem injuriæ aut reconciliationem tenentur.

Certum est pœnitentem qui, ex principiis alibi expositis vel exponendis, ad restitutionem, reparationem injuriæ aut reconciliationem cum inimicis tenetur, et huic obligationi satisfacere recusat, absolvi non posse; actualem enim et perseverantem habet voluntatem peccandi: si autem promittat se quamprimum satisfacturum, et videatur sincerus, una et altera vice sub hac promissione absolvi poterit; præsertim si aliqua ratio prudentiæ id faciendum suadeat. At ubi semel aut iterum promissioni defuit, ne-

ganda est regulariter absolutio donec satisfecerit, quia confessarius jam prudenter judicare non potest ipsius propositum esse sincerum.

Diximus *regulariter*; nam tales occurrere possunt circumstantiæ extraordinariæ, ut prudenter judicari possit pœnitentem non futurum infidelem, sicut antea fuit: tunc absolvi potest, imo et debet, si jus ad sacramentum habeat.

In articulo mortis absolvendus foret, etiamsi propositum non magis videretur sincerum, *ut ex infra dicendis patebit*.

Eodem modo ratiocinandum est de iis qui res creditu necessarias necessitate præcepti ignorant; vel eas ediscere promittunt, et tunc semel aut iterum absolvi possunt: si autem promissioni non steterint, differenda est absolutio, extra casum necessitatis, donec eas sufficienter didicerint, *Ita omnes theologi*. Si vero eruditi nolint, certe absolvi nequeunt.

SECTIO TERTIA.— De agendi ratione confessarii erga eos qui versantur in occasione peccandi.

Quælibet res externa ad peccatum inducens, dicitur occasio peccati: alia est remota et alia proxima; alia voluntaria et alia necessaria. Occasio remota ea est quæ probabiliter de facto non ducet ad peccatum: proxima vero est illa in qua homo verisimiliter peccaturus est. Unde alia est absolute proxima quæ nata est omnes in peccatum inducere, ut turpes aspectus vel tactus, præsertim in personas alterius sexus; alia vero respectiva, quæ respectu unius est proxima, dum respectu alterius esset remota, quales esse possunt saltationes et choreæ.

Occasio igitur non est remota vel proxima, prout raro vel frequentius in peccatum inducit: potest esse proxima respectu unius personæ quæ nondum peccavit, v. g., si junior puella adhuc innocens sola cohabitatura sit cum viro moribus perditio, quia verisimile est eam peccaturam esse.

Occasio est voluntaria, si pœnitens eam tollere possit,

ut si ebriosus adeat cauponem, vel si herus retineat ancillam quæ sibi est causa ruinæ: est vero involuntaria, quando pœnitens eam auferre nequit, ut, v. g., si filia-familias a servo patris, vel a fratre suo sollicitetur in crimen. Impossibilitas eam tollendi potest esse physica, ut si quis cum concubina incarceretur; vel moralis, si nempe occasio deserere non possit sine peccato, ut esset uxor respectu mariti, vel sine gravi detrimento, ut officium confessarii, chirurgi, mercatoris, etc. *His notatis,*

Certum est 1° quæstionem non moveri de occasione remota; si enim stricta daretur obligatio fugiendi omnes occasiones remotas peccati, exeundum esset de mundo, cum fere nihil sit in terra quod plus minusve remote inducere non possit ad peccandum.

Certum est 2° quæstionem pariter non esse de occasione sive remota sive proxima peccandi venialiter; cum enim peccatum veniale non sit materia necessaria sacramenti, nec occasio proxime ad illud inducens, secluso periculo ulterius progrediendi.

Sola igitur difficultas nunc examinanda respicit eos qui in occasione proxima, sive voluntaria, sive involuntaria, mortaliter peccandi versantur.

Certum est 3° confessarium absolutionem denegare non posse ei qui versatur in occasione proxima peccandi mortaliter, quam physice tollere non potest, præcise ob istam occasionem, siquidem nemo ad impossibile tenetur: debet ergo præscribere illi remedia quibus occasio ex proxima fiat remota; quod si pœnitens his remediis uti nolit, aut si emendatio ejus sit nulla, certe absolvi non debet extra periculum mortis, quia prudenter judicari non potest illum esse dispositum. Si vero remediis propositis sincere utatur, et ipsius relapsus notabiliter minuantur, identidem absolvendus est, ut gratia sacramenti adjutus, tentationes facilius superet et omnino emendetur; tunc enim licet prævideatur ex fragilitate relapsurus, potest esse hic et nunc legitime dispositus. Sic *Billuart, S. Ligorius, l. 6, n. 455, Denis, &c.*

4° Communius theologi dicunt, contra paucos, pœni-

tentes non teneri occasionem proximam peccandi mortaliter cum gravi detrimento famæ, honoris aut fortunæ deserere, modo utantur mediis sibi indicatis, et firmum habeant propositum amplius non peccandi: nam occasio peccandi per se non est peccatum, nec in necessitate peccandi constituit. Si ergo moraliter auferri non possit, excusatur pœnitens eam non deserens, et eodem sensu ac in numero præcedenti absolvi potest.

Prudens autem confessarius efficaciora querere debet remedia juxta conditionem pœnitentis et naturam periculi, ut illorum adjutorio occasio ex proxima fiat remota, v. g., ut puella quæ in domo paterna a servo sollicitatur ad turpia, consortium ejus fugiat, nunquam sola cum illo solo loquatur, blanditiis ejus non respondeat, severe et tantum ex necessitate illum alloquatur, pignora amicitie accepta reddat vel destruat; orationes, jejunia, pias lectiones, frequentem confessionem adhibeat: si hæc non sufficient, matrem vel patrem de periculo in quo versatur moneat: et tandem si novi semper eveniant relapsus sine spe emendationis, cum qualicumque detrimento deserenda est occasio, sive puella domo paterna sub aliquo prætextu egrediatur, sive obtineat ut servus ejiciatur.

Similiter, qui in exercitio professionis vel artis suæ proximam invenit occasionem mortaliter peccandi, v. g., confessarius, chirurgus, caupo, mercator, non tenetur eam statim deserere. Si opportunis remediis sincere quærat periculum minuere et occasionem e proxima remotam facere secundum jam dicta, absolvi poterit. Si vero, omnibus remediis frustra tentatis, spes emendationis non affulgeat, valedicendum est sive arti, sive professioni, etiam cum gravissimo detrimento; secus, ordinarie neganda est absolutio.

Dicimus *ordinarie*, quia in articulo mortis non negantur.

5° Qui versatur in occasione proxima perseverante, quam sine gravi detrimento famæ, honoris aut fortunæ deserere potest, v. g., retinet apud se puellam quæ sibi est graviter periculosa, regulariter absolvi non potest nisi eam dese-

ruerit; nam in ea occasione remanens periculo peccandi voluntarie se exponit; scriptum est enim, Eccli. III, 27 : *Qui amat periculum in illo peribit.* Unde Innocentius XI sequentes damnavit propositiones quæ erant numeris, 61 : « Potest aliquando absolvi qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest et non vult omittere, quin imo directe et ex proposito quærit, aut ei se ingerit. 62 : » Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando » causa aliqua utilis aut honesta non fugiendi occurrit. » 63 : Licitum est quærere directe occasionem proximam » peccandi pro bono spirituali vel temporali nostro vel » proximi. »

Diximus *regulariter*; quia nonnulli sunt casus in quibus conferenda est absolutio sub promissione occasionem dimittendi, v. g., 1° si mors immineat et tempus necessarium non suppetat; 2° si pœnitens ab occasione longe distet eamque hic et nunc dimittere non possit, et sincere dispositus appareat; 3° si huc usque obligationem dimittendi occasionem non intellexerit, et fidenter promittat se eam dimissurum.

6° Si occasio proxima non sit perseverans, sed interrupta, ut, v. g., si quis fornicari soleat cum muliere absente quam aliquoties per annum visitat, se inebriare quando apud cauponem bibit, blasphemare quando in ludo perdit, etc., prima, secunda aut etiam quandoque tertia vice absolvi potest, sub expressa promissione talem occasionem devitandi, quia sufficiens datur ratio prudenter judicandi illum esse recte dispositum. At si bis aut ter promissioni defuerit, absolutio, ordinarie differenda est, donec opere probaverit se melius esse dispositum.

SECTIO QUARTA. — De agendi ratione confessarii erga consuetudinarios et recidivos.

Consuetudinarius ille est qui ex actibus sæpe repetitis in uno genere, v. g., fornicandi, blasphemandi, etc., facilitatem contraxit idem peccatum iterandi : recidivus autem ille est qui, post absolutionem, in idem peccatum relabitur : unde quis potest esse consuetudinarius et non

recidivus, nempe si a peccati quibus assuefactus est nondum fuit absolutus; vel recidivus et non consuetudinarius, ut si a peccato semel aut iterum commisso absolutus, in idem relapsus fuerit.

1° Consuetudinarius qui prima vice ad sacrum Pœnitentiæ tribunal accedit, et vera contritionis signa præbet, absolvi potest; non datur enim in illo casu ratio sufficiens bonam fidem ejus suspicandi : ipsius spontanea confessio indicat illum habere propositum a peccato recedendi. *Ita communiter theologi.* Si tamen nulla circumstantia concessionem absolutionis urgeat, prudentius est eam differre, maxime si pœnitens dilationem non ægre ferat : tunc a peccato abstinens, ad absolutionem cum majori fructu suscipiendam se præparabit et tutiora conversionis signa exhibebit : talis est praxis optimorum confessoriorum, et aliunde experientia docet consuetudinarios non ita facile se ab habitu peccandi retrahere.

2° Præcipua difficultas in hac materia est circa recidivos an, scilicet, et quando absolvi debeant. Plures extranei contendunt eos toties absolvendos esse quoties confitentur : nam, inquit, qui libere confitetur et dicit se pœnitere, credendus et judicandus est dispositus, nisi aliqua particularis circumstantia denotet illum indispositum esse. Alii, e contra, inter quos *Merbesius, Juénin, Habert et Concina* dicunt consuetudinarium absolvi non posse, nisi conversionem suam per longam perseverantiam probaverit, præsertim si pluries jam absolutus, semper relapsus fuerit : nam, inquit, per solam perseverantiam in proposito prudenter judicari potest conversus. Utraque opinio falsa est; una nimia laxitate et altera nimia rigiditate peccat. Tertia igitur, quæ communiter admittitur, sic se habet :

PROPOSITIO.

Peccator pluries absolutus et cum eodem habitu pravo rediens, absolvi non potest, extra necessitatem, nisi extraordinaria det signa conversionis.

Prob. 1° auctoritate Innocentii XI qui sequentem damnavit propositionem : « Pœnitenti habenti consuetudinem

» peccandi contra legem Dei, naturæ aut Ecclesiæ, etsi
 » emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec
 » differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere
 » et proponere emendationem. »

Prob. 2º praxi et documentis sanctorum atque piorum hominum. *S. Aug.*, Serm. 117, in Appendice, ait : « Ista » est vera pœnitentia, quando sic convertitur quis ut non » revertatur; quando sic pœnitet, ut non repetat. » *S. Isidorus Hispalensis*, de Ecclesiasticis officiis lib. 2, cap. 16, de Pœnitentibus, ait : « Ille autem vere pœnitentiam agit, » qui nec pœnitere præterita negligit, nec adhuc pœni- » tendo committit : qui vero lacrymas indesinenter effun- » dit, et tamen peccare non desinit, hic lamentum habet, » sed mundationem non habet. »

Idem dictis et exemplis docuerunt *S. Franciscus Xaverius*, ut patet ex ejus epistolis, *Franciscus Salesius*, omnium mitissimus, et *S. Carolus*, Instruct. ad confess., Act. ecclesiæ Mediol., t. 2, cui sic se habet : « Proroganda adhuc » absolutio, donec hi emendantur qui, licet se peccatum » dimissuros polliceantur, ab illo tamen non separandos » confessor suspicatur, ut sunt... et præsertim juvenes » otiosi qui solent majori temporis parte aleis, crapulis, » amoribus, peccatis carnalibus, blasphemis, inhonestis » conversationibus, dissensionibus, odiis et detractionibus » vacare, aut qui Quadragesimæ diebus tantum ultimis » peccata deposituri accedunt, aut qui a multis annis in » iisdem peccatis perseverarunt, nec ut emendantur la- » borarunt. »

Prob. 3º ratione. Absolutio enim concedi non potest, nisi confessor prudenter judicet pœnitentem esse recte dispositum : at, ubi videt eum, post admonitiones iteratas cum eodem habitu pravo redeuntem, prudenter judicare non potest eum recte esse dispositum, qui enim rem sibi possibilem firmiter proponit non tam facile propositi sui obliviscitur; saltem conatus adhibet, per aliquod tempus perseverat, difficilius aut rarius cadit. Aliunde ex prudenti dilatione absolutionis, plures optimi sequentur effectus : 1º profanatio saltem valde probabilis sacramentorum Pœnitentiæ et Eucharistiæ vitatur; 2º pœnitentes gravitatem

peccati melius agnoscunt, juxta hæc verba Jer. II, 19 : *Scito et vide quia malum et amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum*; 3º vigilantiores et cautiores in vitandis peccatis redduntur, et in proposito suo efficacius confirmantur. Ergo.

Diximus in propositione *extra necessitatem*, id est, extra mortis periculum de quo infra dicturi sumus, vel extra necessitatem moralem, de qua supra diximus ad finem sectionis primæ.

Objici solet quod, si hæc principia admittantur, 1º multis deneganda sit absolutio; 2º quod salus æterna peccatorum sic dimissorum periclitatura sit, quia repentina morte corripri possunt; 3º quod potius misericordia quam severitate peccandum sit.

Sed 1º verum est quidem multis non præcise negandam, sed differendam esse absolutionem, quia imparati accedunt : confessorius, zelo animarum flagrans, nihil omittet ut istius modi peccatores ad veram conversionem deducat, eosque ad suscipiendam absolutionem cum fructu disponat; indignos vero non absolvet. 2º Non inficiamur salutem æternam peccatorum sic dimissorum graviter periclitari, sed periculum quod subeunt, non ex dilatione absolutionis quam indigne suscipere oritur, bene vero ex perseverantia ipsorum in peccato. 3º Nimia facilitas in absolvendis recidivis non est misericordia, sed horrenda crudelitas quæ, sub larva indulgentiæ, animas necat et in profundum abyssi demergit.

Objicitur adhuc sequens Catechismi conc. Trid. textus, de Pœnit., n. 60, et in versione *D. Doney*, t. 2 : « Si, au- » dita confessione, judicaverit neque in enumerandis pec- » catis diligentiam, neque in detestandis dolorem pœni- » tenti omnino defuisse, absolvi poterit. » Porro sæpe dici potest neque diligentiam neque dolorem recidivis omnino deesse. Ergo.

Verum sensus verbi *omnino* non est minimam diligentiam minimumque dolorem sufficere, alioquin Catechismus citatus concilii Tridentini, accuratam diligentiam in enumerandis peccatis et animi dolorem ac detestatio-

nem requirenti, evidenter contradiceret : sensus ergo est, absolutionem impertiendam esse, si confessarius prudenter iudicet diligentiam et dolorem *omnino* non defuisse, id est minime defuisse. Ergo.

Diximus in propositione 1^o *cum eodem habitu pravo rediens* ; nam si notabiliter sit emendatus, licet pluries adhuc ceciderit, aut si difficilius et post majorem resistantiam lapsus fuerit, adeo ut prudenter iudicetur illum sincerum habere propositum se emendandi, sed ex fragilitate et pondere habitus aliquando vinci, absolvi debet : gratia enim sacramenti adjutus, novas tentationes facilius superabit, et paulatim veterem habitum imminuens, illum penitus destruet : si, e contra, semper remitteretur donec omnino emendatus esset, repulsibus continuis fatigatus, confessionem desereret, in vitiis sine habenis se volutaret, obduresceret, et fere nulla spes eum ad meliorem frugem redeuntem videndi affulgeret, ut quotidiana experientia constat. Hinc qui sexies singulis diebus circiter blasphemabat, vel turpia proferebat, et, adhibitis conatibus, semel aut iterum relabatur, et firmum habere videtur propositum se emendandi, absolvi potest.

Errant igitur qui dicunt confessarium absolvere non posse pœnitentem quem prœvidet relapsurum : sufficit ut rite confessus verum nunc habeat dolorem de præterito, et firmum propositum non peccandi de futuro : at illæ dispositiones in eo existere possunt qui prœvidetur relapsurus, videlicet ex fragilitate vel ex mutatione propositi. Ita Suarez, Sanchez, card. de Lugo, Billuart, Dens, S. Liguorius, etc.

At si imminutio culparum non ex proposito emendationis, sed ex alia causa, v. g., ex defectu occasionis, contigerit, non erit signum contritionis, *ut patet*.

Diximus 2^o *nisi extraordinaria det signa conversionis*.

Quamvis enim pœnitens, pluries monitus, eodem modo semper relapsus fuerit, potest ex aliqua circumstantia, adjuvante gratia Dei, extraordinarie commoveri et spem fundatam emendationis præbere : tunc absolvi potest, quia prudenter iudicatur dispositus ; imo absolvendus est,

si aliqua ratio id suadeat, v. g., si confessarius sit extraneus et redire non debeat, si pœnitens longe distans habeat domicilium, si matrimonio jungendus sit, si confirmandus ; si quamdam timeat infamiam, nisi ad sacram synaxim accedat, etc.

Ut signa contritionis extraordinaria habentur apud auctores : 1^o lacrymæ et suspiria motivis naturalibus non tribuenda ; 2^o minus peccatorum numerus ; 3^o studium ad emendationem adhibitum ; 4^o spontanea confessio nullo naturali incitamento determinata ; 5^o singularis eventus mentem fortiter commovens, ut concio eloquens, mors amici, terræ motus, felix a periculo gravi liberatio, etc.

Queritur 1^o quanto tempore probandus sit consuetudinarius recidivus, ut tuto absolvi possit.

R. Si relapsus fiant ex causa intrinseca, ut accidit in peccatis incontinentiæ secretæ, odii, blasphemæ et similibus, prudentia suggerit hujusmodi pœnitentes frequenter audire, eos saltem per unum mensem differendo, ut præparentur ad suscipiendam absolutionem cum abundantiori gratia et efficaciore perseverantia : imo dilatio unius mensis communius non sufficit, ut consuetudo eradicetur. Attamen si ratio valida tantam non patiatur dilationem, v. g., si pœnitens in quadam sit necessitate absolutionem suscipiendi, si timeatur ne desperatus non redeat, etc., citius absolvendus erit, et forsan post quindecim vel octo dies, ut plures theologi aiunt, si relapsus antea frequentes, omnino cessaverint vel notabiliter imminuti sint, atque firmum existat emendationis propositum.

Tempus autem probationis longius esse debet, si recidivus raro habeat occasionem peccandi : v. g., qui singulis diebus dominicis solebat inebriari, non tam probatur intra mensem quam prædictus blasphematorius intra octo dies. Cæterum, confessarius ad multas circumstantias attendere debet ut prudens ferat iudicium, et quod utilius erit pœnitenti eligat.

Queritur 2^o quid sentiendum sit de iis hominibus qui in Quadragesima tantum confiteri volunt, et quotannis eadem referunt peccata mortalia.